

necessitatem, ut ita fiant, rebus inferet. Si enim aliter fierent, irrita esset & vana DEI praevisio, Quod absurdum &c. At est divina praescientia, Ergo non contingentia.

Ad hoc argumentum Piccol. Phil. Mor. gr. 2. cap. 33. pag. 205. nervosè ita respondet: Sapientiae & providentiae munus est servare naturam & conditionem rerum, non pervertere: propterea cum varios procreaverit rerum gradus, quosdam servitute, alios libertate praeditos, non eos confundit, sed distinctos servat, ut non unius tantum conditionis & gradus rerum, sed cunctorum sit opifex. Quare cum creaverit hominem liberum, facultateq; consultandi & praeligendi praeditum, suam praecognitione non auferat ab eo, quod ei dedit, alioquin intelligens hominem redderet illum non hominem, & suammet sapientiam opera sapientiae everteret. Praecognoscit DEUS praelectiones nostras: At non quia praecognoscit, ideo ita nos eligimus, sed contra: quia nos ita liberè eligimus, ipse praecognoscit, nos liberè eligere. Haec tenus Piccolomineus. Sagitt. Cent. 3. axiom. Metaph. dec. 3. ax. 5. Distinctione, inter ipsam Dei praevisionem, & Res praevisas respondet: Illam res omnes praesentes habere dicit; Has duplices esse ait, *Naturales*, in quibus non tam evidens est contingentia, utpote quae ad servitutem magis sunt adstrictae; Et *voluntario agentes*, quibus, qui per praevisionem libertatem adimi dixerit, absurdus erit. Videatur ipse Sagitt. l. alleg. Nos paucissimis propositae respondebimus quaestioni, prorsus inficientes, DEI praescientiam rebus necessitatem adferre, & contingentiam auferre.

Quam negationem I. *Instantis* munimus. Si DEI praescientia rerum causa esset, sequeretur, 1. Res omnes ab aeterno fuisse, quia praescientia DEI ab aeterno fuit. 2. DEUM esse causam peccatorum, quoniam praevidet illa, quod absurdorum absurdissimum est. 3. DEUM non liberè sed necessariò agere. 4. omnia quaecunque DEUS novit, certò evenire, quod falsum.

II. *Exemplis.* Si nude praescientia rebus necessitatem imponeret, utique & hominum praescientia quando non fallitur, tale quid faceret. At contrarium exempla testantur ad oculos: Astrologus ex causis naturalibus in fallibiliter (Physicà infallibilitate) praescit & praevidet Eclipsin anni sequentis; Medicus mortem
agro